

Anno 1702
S. ROMVALDVS ABBAS

1765

# MISSÆ NOVISSIMÆ
## pro aliquibus Locis.

*Die xiii. Februarii.*

### IN FESTO BEATÆ EUSTOCHII
*Virg. Monialis Ord. S. Benedicti.*
*Pro Dominio Veneto.*

*Missa*, Dilexísti justítiam, *de Communi Virginum, primo loco, præter sequentia.*

*Oratio.*

OMnípotens ætérne Deus, qui beátam Eustóchium Vírginem tuam advérsus potestátes tenebrárum admirábili virtúte & invícta patiéntia roborásti: ejus méritis & précibus concéde; ut ab omni diabólica nequítia liberáti, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum nostrum.

*Secreta.*

HUjus, quæsumus Dómine, virtúte Mystérii, per quam antíqui hostis vires contrivísti; & intercedénte beáta Eustóchio Vírgine tua, cui de illo victóriam contulísti, cunctos à fámulis tuis diabólicos incúrsus repélle. Per Dóminum nostrum.

*Postcommunio.*

COnfirmet nos, Dómine, qua pasti sumus mensa cæléstis: ut beátæ Eustóchii exémplis instrúcti, & præsídiis adjúti, cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum nostrum.

---

*Feria vi. immediatè post Oct. Augustissimi Corporis Christi.*

### IN FESTO SACRATISSIMI
*Cordis D. N. Jesu Christi.*
*Pro Regno Poloniæ, Diœcesi Venetiarum, & alibi.*

*Introitus.* *Thren. c. 3.*

MIserébitur secúndùm multitúdinem miseratiónum suárum: non enim humiliávit ex Corde suo, & abjécit fílios hóminum: bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. Allelúja, allelúja.

*Psalm.* 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem & generatiónem.

℣. Glória Patri, &c.

*Oratio.*

COncéde quæsumus omnípotens Deus: ut qui in sanctíssimo dilécti Fílii tui Corde gloriántes, præcípua in nos Charitátis ejus beneficia recólimus, eórum páriter & actu delectémur, & fructu. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. *Isai. cap.* 12.

COnfitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi. Convérsus est furor tuus, & consolátus es me. Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, & non timébo: quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. Et dicétis in illa die: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus, mementóte quóniam excélsum est nomen ejus. Cantáte Dómino quóniam magnificè fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra. Exálta & lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

*Graduale. Thren. cap.* 1. O vos omnes qui transítis per viam, atténdite, & vidéte si est dolor sicut dolor meus. ℣. Cùm dilexísset suos qui erant in mundo, in finem diléxit eos. Allelúja, allelúja.

℣. *Matth.* 11. 29. Díscite à me, quia mitis sum & húmilis Corde, & inveniétis réquiem animábus vestris. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndùm Joánnem. *Joann.* 19. 31.

IN illo témpore: Judæi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati) rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, & tolleréntur. Venérunt ergo mílites, & primi quidem fregérunt crura, & altérius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cùm venissent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura: sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, & contínuò exívit sanguis & aqua. Et qui vidit testimónium perhíbuit, & verum est testimónium ejus. Credo.

*Offer-*

*Offertorium. Psal.* 102. Bénedic ánima mea Dómino, & noli oblivísci omnes retributiónes ejus, qui replet in bonis desidérium tuum. Allelúja.

*Secreta.*

TUére nos, Dómine, tua tibi Holocáusta offeréntes: ad quæ ut fervéntiùs corda nostra præparéntur, flammis adúre tuæ divínæ Charitátis: Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte &c.

*Præfatio de Passione.*

*Communio. Psalm.* 68. Impropérium expectávit Cor meum & misériam, & sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; & qui consolarétur, & non invéni. Allelúja.

*Postcommunio.*

PAcíficis pasti delíciis & salutáribus Sacraméntis, te súpplices exorámus Dómine Deus noster: ut qui mitis es & húmilis Corde, nos à vitiórum ómnium labe purgátos, propénsiùs fácias à supérbis sæculi vanitátibus abhorrére: Qui vivis & regnas.


I.N.R.I